

**1376-1376- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Bituricum Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Bituricum celebrati  
 anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · LXXVI<sup>o</sup> ·

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: quod insula Sicilie et nacio Hibernie pro provinciis habeantur cum iuribus aliarum provinciarum, et sic vocate in suis locis debitis post alias provincias in nostris constitutionibus adnotentur. Quarum prima scilicet insula Sicilie cum suo vicario usque ad sequens generale capitulum maneat independens; secunda vero videlicet nacio Hibernie usque ad sequens generale capitulum sub regimine provincialis Anglie perseveret.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc, quod in constitutionibus per dominum papam Iohannem confirmatis, ubi de predicatoribus generalibus agitur, post illud, quod in fine illius clausule dicitur: non possunt etc., addatur: et si oppositum fuerit attemptatum, totum sit irritum et inane.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus, quod socii magistrorum et baccalaureorum Parisiensium non debent gaudere privilegiis studencium, nisi iudicio suorum provincialium ad hoc de facto declarati fuerint in sciencia et moribus sufficientes.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores conventuales: Brugensem, Gracianopolitanum, Fortonensem<sup>1</sup>, Blesensem, Carnotensem, Gandensem et sancti Iohannis. Et volumus et ordinamus, quod priores in istis actis absoluti et alii eciam, qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno nullatenus assumantur sive eciam eligantur.

**Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Inprimis cum propter ignoranciam eorum, que agenda sunt, plures in devium prolabantur, volumus et ordinamus, quod de cetero acta capitulum generalium ab ipsis capitulis generalibus per provinciales in anno provincialium et per diffinitores in anno diffinitorum, ac eciam per socios eorundem portentur ad suas provincias scripta in pergamenis et de bona littera sub sigillo magistri ordinis reverendi; acta vero capitulum tam generalium quam provincialium de ipsis capitulis provincialibus per socios priorum conventualium ad suos conventus cum sigillis priorum provincialium modo consimili deferantur. Quibus provincialibus, diffinitoribus ac sociis mandamus in virtute sancte obediencie, quatenus loca dictorum capitulum non exeant sine ipsis actis modo predicto completis correctisque ac eciam sigillatis. Imponentes omnibus prioribus conventualibus ac eorum loca tenentibus sub pena absolucionis, quatenus ordinaciones, precepta et denunciaciones dictorum capitulum semel in mense legi faciant fratribus omnibus congregatis in capitulo vel in mensa. Si quis autem frater tunc absens fuerit, ille infra idem tempus, postquam presens fuerit in conventu eadem teneatur legere vel coram se legi facere intelligibiliter et complete; et modo consimili volumus et mandamus, quod quilibet frater ordinis legat vel audiat omnes constituciones nostras ad minus quolibet anno semel. Adicientes et presidentibus conventuum universis districtius imponentes, quatenus predicta acta capitulum generalium et provincialium in bibliotheca communi firma sub clausura per fratrem aliquem ad hoc specialiter deputatum custodire faciant sollicitate, taliter quod futuris temporibus ibidem valeant reperiri.

Item. Ne bona communia indebite distrahantur, sed melius solito conserventur, volumus et ordinamus, quod anniversaria et libri in conventibus minime duplicati, maxime sumptuosi, necnon quecumque alie elemosine perpetue seu quevis alia bona conventuum immobilia, precium decem florenorum coniunctim vel divisim valencia, nullatenus vendantur, seu quovis modo alienentur per quemcumque aut permutentur seu eciam transferantur, nisi de licencia reverendi patris magistri ordinis aut priorum provincialium seu vicariorum generalium eorundem, que non concedatur nisi ex causa multum rationabili et urgente, interveniente nichilominus ad hoc expresso consensu totius conventus vel maioris partis ipsius, sine dolo et fraude capitulariter congregati. Quod si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum sit irritum et inane. Adicientes, quod de cetero in omnibus et singulis procuratoriis vel sindicatibus conventuum quorumcumque, in quibus dabatur protestas vendendi vel alienandi aliqua bona immobilia seu eleemosinas perpetuas, addatur semper ista clausula: Dum tamen ad hoc interveniat specialis assensus sive licencia reverendi patris magistri ordinis aut prioris provincialis vel vicarii generalis alterius eorundem. Omnes autem et singulos presidentes et fratres ceteros oppositum facientes alicuius premissorum ad restitutionem bonorum huiusmodi simpliciter obligamus. Quod si facere non potuerint, pene subiaceant culpe gravioris.

Item. Mandamus sub pena absolucionis presidentibus conventuum universis, quatenus infra duos menses a noticia presencium de bonis suarum communitatum faciant pro quolibet officio inventaria duplicata, quorum unum apud fratrem, qui exercebit officium rerum in inventario contentarum, et aliud in communi conventus deposito teneatur; qui vero in hoc reperti fuerint negligentes, in penam indilate a suis officiis absolvantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod quilibet frater iuvenis non competenter sciens scribere et cantare, cogatur addiscere ad cantandum et scribendum per abstinentiam in pane et aqua et per privacionem gratiarum ordinis.

<sup>1</sup> "Fortonensem" legendum esse arbitror "Fontiniacensem" cf. SSOP. I, pag. VI, n. III.

Novicii vero et primi noviter professi extra conventum, quanto rarius fieri potest, licententur, et non sine causa multum racionabili et urgente.

Item. Volumus et districte imponimus fratribus nostri ordinis universis, quatenus in suis sermonibus et colloquiis inducant populum verbo, opere et exemplo ad bonam observanciam sancte matris ecclesie, faventes negociis et personis ipsius, tam publice quam secrete, quantum potuerint bono modo. Omnem autem fratrem implicite vel explicitate pro negociis sancte Romane ecclesie odiosam ambasciatam facientem, ipso facto carceri formaliter condemnemus.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie, quod nullus frater procuret sibi vel alteri lecturam sententiarum per se vel per alium seu per alias personas interpositas extra nostri ordinis obedienciam constitutas, nec legat ipsas sententias in aliqua universitate, nisi ubi fuerit assignatus, et in loco sibi deputato per generale capitulum vel de licencia magistri ordinis speciali. Quicumque autem frater contrarium fecerit, sententiam excommunicacionis incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio coram nobis de omnium nostrum consilio pariter et assensu.

Quod si qualitercumque contigerit, fratrem aliquem lecturam sententiarum in studio alicuius universitatis per gratiam impetrare, volumus, quod conventus illius universitatis, ubi habebit legere, tali fratri teneatur ad aliquod subsidium temporale, nisi solvat contribucionem studencium ibidem solvi consuetam; et rogamus magistrum ordinis reverendum, quatenus de cetero cum nullo dispenset in casu antedicto.

Item. Mandamus districte prioribus provincialibus universis, quatenus quancumque commode potuerint, mittant procuratori ordinis in Romana curia defectus fratrum apostatarum et apostatancium fautorum, ut sic ipse per eosdem informatus debite procedere valeat pro honestate et utilitate ordinis contra huiusmodi insolentes.

Item. Mandamus districte presidentibus conventuum universis, quatenus omnes fratres fugitivos et solos sine socio ordinis incedentes, ad ipsos quoque sine litteris testimonialibus declinantes, detineant et includant ac penis debitis macerent, donec prior provincialis, in cuius provincia reperti fuerint, cum deliberato consilio, si sibi expediens videatur, mandaverit liberari.

Item. Mandamus districte presidentibus conventuum universis, quatenus infra unum annum corrigant cum omni diligencia vel corrigi faciant missalia et constituciones suorum conventuum, alias in sequenti provinciali capitulo in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Mandamus sub precepto sancte obediencie fratribus nostri ordinis universis, quatenus nullus eorum cuiuscumque status, gradus aut condicionis existat, audeat comedere in prandio vel in cena ordinariis extra eorum loca ordinaria, nisi esset notabiliter debilis vel infirmus; nec aliquis frater habeat in aliquo conventu nisi unam cellam seu cameram sibi appropriatam; et si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum id simpliciter revocamus.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater repertus fuerit iudicio eius, ad quem spectat, sine causa racionabili a quocumque suo superiore appellasse, carcerali custodie mancipetur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie singulis provincialibus, quatenus novum officium de translacione sacrosancti corporis beati Thome ipsis provincialibus per reverendum magistrum ordinis traditum seu missum faciant in singulis conventibus suarum provincialiarum infra annum ad tardius adnotari.

Item. Volumus et ordinamus, quod inquisitores omnes nostri ordinis morentur in locis principalibus suarum inquisitionum et ibidem diligenter suum exerceant officium, alias per suos provinciales indilate a suis officiis absolvantur; significantes fratribus universis, quod de notabili negligencia inquisitorum nostri ordinis gravis querela pervenit ad aures domini nostri pape.

Item. Ad nostre religionis conservacionem precipimus in virtute sancte obediencie fratribus et maxime presidentibus conventuum nostri ordinis universis, quatenus ad recepcionem noviciorum dent per omnia operam efficacem, et receptos informare vel informari facere studeant in vita, moribus et doctrina, secundum gratiam a domino sibi datam.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo revocari procuret vel in aliqua provincia seu conventu aut aliquo officio seu studio generali assignari vel remanere aut amoveri; nec in arte alchimie quomodolibet operari presumat seu eciam operari facere; nec vadat ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis speciali, aut in ea solus sine socio fratre ordinis discurrat nec ibidem absque scitu et beneplacito procuratoris ordinis negocium quodcumque alicuius ponderis pertractet, seu ibidem remanere presumat ultra terminum sibi assignatum.

Item. Mandamus, quod nullus frater presumat dicere suo prelato cuicumque, quod non sit prelatus seu prior, sic quod propter hoc ab obediencia ipsius se subtrahat quovis modo, donec per superiorem, ad quem pertinet, fuerit declaratum. Quicumque vero oppositum fecerit alicuius predictorum, sententiam excommunicacionis incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice et in scriptis de omnium nostrum beneplacito et assensu. Concedimus tamen prioribus provincialibus, quatenus quilibet eorum, dum necessarium fuerit, mittere valeat ad dictam Romanam curiam duos fratres pro negociis suarum provincialiarum. Ab hoc tamen eximimus fratres illius provincie, ubi pro tempore Romana curia residebit, qui possint ire ad curiam de sui provincialis licencia petita pariter et obtenta.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, presumat de cetero iurare alteri cuicumque, quod pro ipso faciat in aliqua electione; quod si oppositum attemptatum fuerit per

quemcumque, tale iuramentum cassum esse volumus et carere omni roboris firmitate, et omnes similiter huiusmodi iuramentum facientes ex nunc pro tunc simpliciter omni voce privamus.

Item. In virtute sancte obediencie precipimus fratribus universis et singulis ad legendum sententias in theologia assignatis et in posterum assignandis, quatenus de cetero non presumant transire ad magisterium in theologia, quousque officium magistri studencium tenuerint et realiter executi fuerint per unum annum ad minus pro toto tempore lectionum, nisi a reverendo patre magistro ordinis vel provinciali super hoc licenciam habuerint specialem. Et modo consimili precipimus magistris in theologia quibuscumque, ne ad hoc ipsos vel eorum aliquem presentent ullo modo. Quicumque autem oppositum attentare presumpserit, preter penam transgressoribus precepti debitam regencia ordinaria scholarum dicti conventus simpliciter sit privatus, nec volumus, quod frater huiusmodi qualitercumque ad huiusmodi regenciam admittatur, statutis et ordinacionibus quorumcumque ordinis presidencium non obstantibus quibuscumque. Hanc autem ordinacionem volumus habere vim declaracionis, et fratres omnes et singulos, quos tangit vel tangere potest, statim, dum ad eorum noticiam pervenerit, ad eam simpliciter obligari.

Item. Inhibemus districte prioribus provincialibus, quatenus de cetero non instituant quoscumque vicarios in contratis, nacionibus seu eciam conventibus quibuscumque sine causis urgentibus et valde necessariis, provinciis Theutonice, Anglie et Hungarie duntaxat exceptis; quod si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum id decernimus fore irritum et inane.

Item. Sub precepto sancte obediencie prohibemus, ne frater aliquis infamet fratrem quemvis alium nostri ordinis apud personam vel personas quascumque extra obedienciam nostri ordinis constitutas, seu aliis ad extra revelet secreta ordinis vel facta, ex quibus possit turbari ordo noster vel frater aliquis seu [ordo] infamari; denunciante fratrem omnem, qui ex nunc contrafecerit, incidisse in sententiam excommunicationis, quam magister reverendus tulit canonice in diffinitorio de omnium nostrum consilio et assensu. Et quia contra fratrem Egidium de Ianua magistrum nobis fuit processus exhibitus, quo de huiusmodi et aliis multum et graviter notabatur, quem punire non debuimus inauditum, ideo provinciali Lombardie superioris mandamus, quatenus eundem fratrem de predictis audiat et causam attente discuciat; qua diligenter examinata, facere non negligat iusticie complementum.

Quascumque autem gratias exemptorias et concessionem camerarum quarumcumque extra commune dormitorium, confirmaciones quoque huiusmodi concessionum factas seu concessas quibuscumque fratribus nostri ordinis sub quavis forma verborum per quoscumque nostri ordinis presidentes, tenore presencium simpliciter revocamus, exceptis duntaxat graciis de cameris factis magistris et baccalariis in theologia, et concessionibus camerarum factis illis fratribus, qui eas construi fecerunt propriis sumptibus et expensis. Et idem dicimus de concessionibus camerarum quarumcumque extra vel intra commune dormitorium existencium factis quibuscumque fratribus, sive sint magistri sive non, que magistro ordinis vel prioribus provincialibus aut usui fratrum hospitem vel infirmorum retroactis temporibus fuerunt applicate.

#### **Iste sunt assignaciones.**

Assignamus ad legendum sententias Parisius pro anno presenti fratrem Iohannem de Castro Theodorici<sup>2</sup> de provincia Francie, cui substituimus fratrem Iohannem Balbini<sup>3</sup> de eadem provincia. Et quantum nostra interest, pro primo anno extraneis debito post illum, qui nunc legit, assignamus ad legendum sententias ibidem fratrem Gerardum de Burens de provincia Saxonie. Pro secundo vero similiter extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sententias fratrem Godfridum Iisproletri (!) de provincia Theutonice. Pro tercio vero modo consimili extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sententias fratrem Arnulfum de Lasteria<sup>4</sup> de provincia Tholosana, et in casu, quo aliquem de duobus predictis in primo loco assignatis contingeret impediri, eidem substituimus pro eodem anno prefatum fratrem Arnulfum, quem eciam de presenti pro studente honoris ibidem assignamus cum graciis et privilegiis baccalaureis ibidem fieri consuetis. Ad legendum bibliam post illum, qui nunc actu legit, assignamus fratrem Guilielmum de Roseriis<sup>5</sup> de provincia Francie.

In Oxonia ad legendum sententias pro anno septuagesimo sexto assignamus fratrem Vincencium de Ulysbona provincie Hispanie. Pro secundo cursu extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sententias, quantum nostra interest, fratrem Iohannem de Berberano<sup>6</sup> de provincia Aragonie; pro duobus vero annis intermediis committimus provinciali Anglie et suo provinciali capitulo, quod de lectoribus sentenciarum provideant de fratribus intraneis, prout discrecioni eorum visum fuerit expedire.

In Cantabrigia assignamus ad legendum sententias pro anno presenti, scilicet septuagesimo sexto fratrem G. Cambri<sup>7</sup> de provincia Anglie. Pro secundo cursu, fratrem G. Dobanii de eadem provincia. Pro primo vero cursu extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sententias fratrem Antonium Hostergerii de provincia Lombardie superioris.

<sup>2</sup> De fr. Ioanne de Castro Theodorici cf. DENIFLE l.c. pag. 229.

<sup>3</sup> De fr. Ioanne Balbini cf. supra pag. 426 l. 15.

<sup>4</sup> De fr. Arnulfo de Lasteria cf. DENIFLE l.c.

<sup>5</sup> De fr. Guilelmo de Roseriis cf. DENIFLE l.c.

<sup>6</sup> De fr. Ioanne de Berberano vel Barbarano cf. MOPH. VII, pag. 57.

<sup>7</sup> De fr. Cambri cf. SSOP. I, 901.

Declaramus autem, quod forma exponendi ad magisterium in universitatibus Oxonie et Cantabrigie alias observata per provinciam Anglie non preiudicat in aliquo potestati seu auctoritati reverendi patris magistri ordinis aut capitulorum generalium, quin videlicet ipsi possint in dictis universitatibus fratres intraneos ad magisterium exponere, sicut in aliis universitatibus est fieri consuetum; quam formam in favorem dicte provincie pronunciamus in suis terminis remanere, hoc addito, quod nulla visitacio dicte provincie possit de cetero pro anno sibi debito exponere preter unum fratrem, nisi in casu, quo illum expositum contigerit legitime impediri, et si oppositum factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. Denunciamus fratribus universis ad legendum sentencias in universitatibus Oxonie vel Cantabrigie iam assignatis et aliis eciam in posterum assignandis, quod de forma seu statuto dictarum universitatum est, ut quicumque habet ibidem legere sentencias, opponat per unum annum, antequam intret ad ipsam lecturam.

Quare mandamus eisdem fratribus, quod taliter de suis disponant negociis, quod non faciant defectum de dicta oppositione, alias cursu sibi debito in dictis universitatibus seu aliqua earumdem ipso facto erunt privati; et in hoc casu, committimus provinciali Anglie, quatenus de fratribus sue provincie ad hoc dispositis provideat, qui opponere et legere habeant loco predictorum, omni dolo et fraude postpositis et semotis.

In Tholosa ad legendum sentencias pro anno septuagesimo sexto assignamus fratrem Iacobum de Scrampis de provincia Tholosana. Pro alio anno immediate sequenti assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Heliam Bruni de eadem provincia. Pro tercio vero anno, fratrem Arnaldum Berengarii de eadem provincia. Pro quarto vero anno, qui erit extraneorum, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Simonem de Saltarellis<sup>8</sup> de provincia Romana, quem eciam in casu, quo aliquem predictorum contingeret impediri, eidem substituimus. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fratrem Arnaldum Berengarii. Pro duobus vero annis immediate sequentibus assignamus ibidem ad legendum bibliam fratrem Hugonem de Columbario, quem eciam ibidem de presenti assignamus pro studente honoris cum graciis et privilegiis huiusmodi studentibus ibidem fieri consuetis. Pro magistro studencium assignamus ibidem pro anno presenti fratrem Heliam Bruni de provincia Tholosana.

In Bononia assignamus pro lectore principali fratrem Petrum de Marca de provincia Tholosana, magistrum, ei in casu, quo ipsum contigerit impediri, committimus provinciali Lombardie inferioris, quatenus tam de lectore principali quam de aliis lectoribus ibidem provideat, prout sue discrecioni visum fuerit expedire. Eidem insuper committimus, quatenus studium generale sue provincie possit, si sibi expediens videatur, mutare ubicumque et quandocumque sibi videbitur de loco ad locum et de lectoribus, ut premittitur, providere.

In conventu Coloniensi assignamus pro lectore principali fratrem Ulricum Teobaldi. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Gotz de Melde. Pro magistro studencium fratrem Iohannem de Pergis.

In conventu Neapolitano assignamus pro lectore principali fratrem Nicolaum de Troia, magistrum<sup>9</sup>. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Antonium Donade de Aversa. Pro anno secundo fratrem Dominicum de Afragela. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti fratrem Antonium de Catheniano. Pro anno secundo fratrem Ludovicum de Ianuario.

In conventu Montispessulani assignamus pro lectore principali fratrem Petrum Borroni<sup>10</sup> magistrum. Pro anno immediate sequenti fratrem Raymundum Boqui. Ad legendum sentencias ibidem fratrem D. Ianuarii. Pro anno immediate sequenti fratrem Arnaldum Reparati. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fratrem Guiliermum Berengarii; pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Iohannem Alberti. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti fratrem Iohannem Hebrardi. Pro secundo anno fratrem Bernardum Pagesi, quem eciam substituimus pro anno presenti prefato fratri Petro, in casu quo ipsum contigerit impediri.

In conventu Mediolani assignamus pro lectore principali fratrem Antonium Hostergerii<sup>11</sup>. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Iacobum Santum; pro anno sequenti prior provincialis providebit.

In conventu Barcinonensi assignamus pro lectore principali pro anno presenti fratrem Raymundum de Olivariis. Pro anno immediate sequenti fratrem Bartholomeum Gazoni<sup>12</sup>. Ad legendum sentencias ibidem pro primo anno fratrem Dominicum Serrati<sup>13</sup>. Pro secundo anno fratrem Petrum Thostala. Ad legendum bibliam ibidem assignamus fratrem Raymundum Romey. De magistro studencium provincialis Aragonie providebit.

In conventu Avinionensi assignamus pro lectore principali fratrem Michaellem Perdigacii<sup>14</sup>, magistrum, cui substituimus fratrem Iacobum Vincencii, magistrum.

In conventu Burdigalensi assignamus pro lectore principali fratrem Stephanum de Cumba, magistrum. In conventu Veneciano assignamus pro lectore principali fratrem Iohannem de sancto Thoma<sup>15</sup>.

Ordinacionem autem omnium studiorum generalium committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalareis, biblicis et magistris studencium provideat, prout honestati et honori ordinis sibi

<sup>8</sup> De fr. Simone de Saltarellis cf. SSOP. I, 611.

<sup>9</sup> De fr. Nicolao de Troia cf. SSOP. I, 702; MOPH. VII, pag. 62.

<sup>10</sup> De fr. Petro Borroni cf. ibid. pag. 59.

<sup>11</sup> De fr. Antonio Hostergerii cf. supra pag. 434 l. 3.

<sup>12</sup> De fr. Bartholomaeo Gazoni cf. MOPH. VII, pag. 61.

<sup>13</sup> De fr. Dominico Serrati cf. ibid. pag. 55.

<sup>14</sup> De fr. Michaelle Perdigacii cf. DENIFLE l.c.n.1295.

<sup>15</sup> Estne idem ac Johannes Thomae, de quo Denifle l.c. indice? Ratio temporum quidem congruet

visum fuerit expedire. Committimus insuper eidem magistro reverendo, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte, quocienscumque et quocumque casu ipsas vel earum aliquam contigerit priore provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale dictis provinciis et earum cuilibet de provincialibus providere valeat semper, quod sibi videbitur expedire.

Ordinacionem studii Magderburgensis committimus provinciali provincie Saxonie.

Letania et salve regina more solito dicantur; et nichilominus post omnes horas dicatur oratio pro domino nostro papa cum versiculo, prout est moris.

Concedimus cuilibet provinciali nostri ordinis, quatenus in sua provincia possit recipere duas domos seu duos conventus, interveniente tamen ad hoc primitus licencia et beneplacito domini nostri pape.

#### **Iste sunt penitencie.**

Cum fratres conventus Constanciensis de provincia Theutonie multas personas nobilis condicionis tam seculares quam regulares plurimum scandalizaverint, et in ipso scandalo suo provinciali notabilem irreverenciam fecerint, idcirco eidem provinciali et diffinitoribus provincialis capituli in prefata provincia proxime celebrandi precipimus et precipiendo committimus, quatenus in eodem provinciali capitulo vel prius de predicto scandalo commisso, ut premittitur, quantum potuerint, se informet, et habita sufficienti informatione dictos fratres puniant, prout ratio suadebit. Fratribus autem A. de Vila et Hermanno de Clidiberc (!) dicti conventus Constanciensis, quos specialiter auctoritate presencium citamus ad dictum capitulum, in virtute sancte obediencie precipimus, quatenus ad dictum capitulum veniant et compareant coram prefatis provinciali et diffinitoribus ad quesita et proposita responsuri.

Item. Cum socius conventus Atrebatensis non apportaverit nec miserit scrutinium prioris sui, et capitulum idcirco expensis ei debitis (!) pro via capituli, ipsum privamus simpliciter et ex toto [graciis ordinis].

#### **Ista sunt suffragia pro vivis.**

Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos · iv · missas. Et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu qualibet septimana scribatur unus hebdomadarius, qui celebret continue pro bono statu ipsius ac totius ecclesie sancte dei.

Item. Quod quilibet frater celebrans missam privatam dicat in eadem oracionem: “deus omnium” vel: “deus, a quo sancta desideria”, nisi fuerit missa defunctorum.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino cardinali de Agrifolio<sup>16</sup>, prestantissimo ac fidelissimo nostri ordinis procuratore, quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis Ostiensi<sup>17</sup>, Albanensi<sup>18</sup>, Gebennensi<sup>19</sup>, Morinensi<sup>20</sup>, Narbonensi<sup>21</sup>, Aragonensi<sup>22</sup>, Ambianensi<sup>23</sup>, totoque collegio dignissimo dominorum cardinalium quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro reverendis in Christo patribus, dominis episcopis Cameracensi, Antisiodorensi, Aniciensi, Parisiensi, Morinensi, abbatibusque Donetensi, sancti Satyri, Plenipodii, sancte Genovefe et Venetensi quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Bituricensi quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro reverendis in Christo patribus ei dominis dominis archiepiscopis Lugdunensi, Rhemensi, Rothomagensi, Senonensi, Turonensi, Bisuntinensi, et dominis episcopis Nannetensi<sup>24</sup>, Sylvanectensi, Terracinenensi<sup>25</sup>, Sagiensi<sup>26</sup>, Capritano<sup>27</sup> et Betlemitano<sup>28</sup> quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro reverendis patribus magistro ordinis ac diffinitoribus presentis capituli et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro reverendo patre magistro sacri palatii<sup>29</sup> quilibet sacerdos · i · missam.

<sup>16</sup> De quo supra pag. 422 l. 25.

<sup>17</sup> Petro de Stagno (d'Estaing) O.S.B.; aep. Bituricen., prom. 7 Iunii 1370 tit. s. Mariae in Transtiberim, (28 Sept. 1373) ep. Ostien.; † Romae 25 Nov. 1377. Cf. EUBEL l.c. pag. 20.

<sup>18</sup> De quo supra pag. 422 l. 24.

<sup>19</sup> Roberto de Gebennis, ep. Cameracen., prom. 30 Maii 1371, bas. XII. apost., futuro in sua obed. Clemente p. VII.; EUBEL l.c.p. 21.

<sup>20</sup> De quo supra pag. 422 not. 3.

<sup>21</sup> De quo supra pag. 423 not. II.

<sup>22</sup> Petro de Luna, prom. 20 Dec. 1375, diac. s. Mariae in Cosmedin, postea papa Bened. XIII.; EUBEL l.c. pag. 21.

<sup>23</sup> Joanne de Grangia (de la Grange), prom. 20 Dec. 1375, tit. s. Marcelli, postea (1379) ep. Tusculan. † Avinione 14 al. 24 Apr. 1402; EUBEL l.c.

<sup>24</sup> Simone de Lingonis olim mag. gen. Ordinis; EUBEL l.c.p. 372 et supra p. 281 l. 31.

<sup>25</sup> Stephano Armandi O. Praed.; cf. EUBEL l.c.p. 504.

<sup>26</sup> Guilelmo de Rancia (Rances) O. Praed.; l.c.p.450.

<sup>27</sup> Guilelmo de Sarciando O. Praed.; l.c.p. 169.

<sup>28</sup> Ademaro de Rupe (de la Roche) O. Praed.; l.c.p.138.

<sup>29</sup> Nicolao de S. Saturnino, de quo supra pag. 400 l.26

Item. Pro religiosissimis sororibus ordinis nostri, sorore Maria de Borbonio, domina priorissa de Piciaco, priorissa Pruliani, priorissa Valencianensi, ceterisque sororibus ordinis nostri et fratribus conventus Bituricensis quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimis principe domino rege Francie et domina consorte sua ac nobili serenissima prole eorumdem quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilissimo principe domino duce Biturice, qui ordinem nostrum et fratres in isto capitulo solemniter festivavit, quilibet sacerdos · iii · missas.

Significamus autem fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis et venerabiles provinciales diffinitores presentis capituli, attendentes ad ferventissimam affectionem, quam illustris princeps et dominus dux Biturice habet ad nostrum ordinem et ostendit in presenti capitulo, et alias per effectum multipliciter se habere monstravit, concesserunt ac etiam tenore presencium concedunt, quatenus pro ipso, dum ex hac luce migraverit, fiant per totum ordinem suffragia omnia et singula, que pro magistro ordinis in ipso ordine iuxta nostrarum constitutionum sunt fieri consueta.

Item. Pro nobilissima domina domina ducissa Biturice consorte prefati domini quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dilectissimo domino Karulo, domini prefati ducis primogenito et domina consorte eius ceterisque liberis eius, quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro clarissimis principibus et dominis dominis ducibus Andegavie, Burgundie, dominis fratribus domini regis Francie ac nobilissimis consortibus eorumdem ac liberis et domino duce Borbonii, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilibus principibus ac dominis regibus, domino imperatore, regibus Castelle, Anglie, Aragonie, Hungarie, Cypri, ac domino inclito duce primogenito Aragonie et domina eius consorte, ac dominis comitibus Flandrie, Armaniaci, Fuxi, Bolonie et domino connestabili Francie, domino mareschallo de sancto Cesare, ac nobilibus consortibus ac liberis eorumdem, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilissima domina comitissa de Alenconio nobilique prole sua quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilibus dominis domino de Iuliaco et domina de Revello ac nobili prole eorumdem, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro nobilibus dominis domino comite de sancto Cesare ac domina comitissa Vindoniensi antiquiore, nobili comite Empuriarum, eius consorte ac liberis eorumdem, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino cancellario Biturice ac reverendo patre fr. Iohanne Rocelii, confessore domini ducis Biturice, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Iacobo Crocelli, domina consorte sua et liberis eorumdem bonoque statu civitatis Bituricensis necnon et omnibus confratribus de confratria sancte Catharine in Bituricensi conventu, et Gambaro Galhardi sive Bisunctio, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus ac sororibus nostri ordinis et fratribus minoribus, illisque, qui fratres ad hoc generale capitulum venientes gratis receperunt et recipient redeunt ac illis, qui pias eleemosynas ad capitulum miserunt aut mittent in posterum, una cum illis, qui litteras habent de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · i · missam.

#### **Ista sunt suffragia pro defunctis.**

Pro sanctissimis in Christo patribus ac dominis dominis nostris pontificibus Benedicto et Innocencio, de nostro ordine assumptis, Iohanne, Clemente, Innocencio, Urbano ac reverendissimis patribus dominis cardinalibus assumptis de ordine, universisque cardinalibus, singulariter ad nostrum ordinem affectis, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Guilielmo Ostiensi<sup>30</sup> cardinali de nostro ordine assumpto, quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino Carolo, Lugdunensi archiepiscopo, quilibet sacerdos · iii · missas de requiem, quas reverendus pater magister ordinis singulis fratribus imponit et pre ceteris missis impositis vult dici.

Item. Pro inclita domina regina Aragonie et domina comitissa Empuriarum quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro reverendo patre Guilielmo<sup>31</sup> nostri ordinis sacri palatii [magistro], quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro religiosa sorore Alexia, olim priorissa Piciaci, necnon et reverendissimis patribus Hugone<sup>32</sup>, Petro<sup>33</sup>, Garino<sup>34</sup> eiusdem ordinis nostri magistris, Guilielmo de Castro Reginaldi<sup>35</sup> magistro et Bartholomeo de Ansiaco<sup>36</sup>, eiusdem ordinis provincialibus Francie, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostri ordinis defunctis, pro illis, pro quibus eleemosyne ad presens capitulum sunt transmissae, pro illis, qui litteras de beneficiis ordinis habuerunt, pro confratribus defunctis et confratria beate Catharine prefata, quilibet sacerdos · i · missam.

<sup>30</sup> Guilelmo Sudre, de quo supra pag. 422 not. 1.

<sup>31</sup> Guilelmo Romani; de quo SSOP. I, 644.

<sup>32</sup> Hugone de Vaucemain; de quo supra pag. 125 l. 13.

<sup>33</sup> Petro de Palma; cf. supra pag. 136 l. 31.

<sup>34</sup> Garino de Giaco; cf. supra pag. 283 l. 2; 307 var. I.

<sup>35</sup> De fr. Gulelmo de Castro Reginaldi; cf. supra pag. 161 l. 3.

<sup>36</sup> De fr. Bartholomaeo de Ansiaco; cf. supra pag. 336 l. 18.

Item. Pro domino Iohanne de Montepedone camerario eiusdem nonobilissimi principis prefati domini ducis Biturice, quil. sacerdos · i · mis.

Pro qualibet missa superius nominata quilibet clericus non sacerdos septem psalmos et quilibet conversus centum pater noster dicant.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus ad duos annos in conventu Carcassonensi de provincia Tholosana celebrandum in festo pentecostes, committentes magistro ordinis reverendo, quatenus ipsum generale capitulum de discretorum fratrum consilio possit mutare quoad locum, sicut sue discrecioni pro honestate ordinis visum fuerit expedire. Et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad dictum capitulum sine licencia veniat, aut cum intencione veniendi suum conventum exeat; alias oppositum faciens voce simpliciter sit privatus. Diffinitores vero veniant, ut est moris.

Expliciunt acta capituli generalis loco et tempore ut superius celebrati. Locus ± sigilli.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n.C.